



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis  
Disciplinis & religione Christiana**

**Regino <Prumiensis>**

**Parisiis, 1671**

XVI. Literæ Richardi Archiepiscopi Bituricensis de consecratione Ecclesiæ  
Vipplensis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14622**

## XVI.

Literæ Richardi Archiepiscopi Bituricensis de consecratione Ecclesiae Vipplensis.

*Ex Chartulario monasterij Capella in diœcesi Bituricensi cap. xxxvi. & lxxxvi.*

**E**X parte Dei omnipotens & Filij & Spiritus sancti & omnium sanctorum. Noscant omnes catholicae Ecclesiae filij me Richardum Bituricæ sedis Archiepiscopum ad quandam villam mei archiepiscopatus Vippleis nomine devenisse, ut in majori ejusdem villæ Ecclesia, videlicet parochiali, in honore sancti Martini constituta, altare consecrarem & Concilium ibidem facerem. Ut verò Ecclesiam præfatam, in qua altare erat, in manu ministrorum Dei ponerem & à laicorum manibus eripere valerem, altare consecrare vel etiam stolam collo superponere nolui quousque laici qui hujus Ecclesiae & superioris huic vicinæ oblationum participes extiterant, se amplius nihil accepturos inde in præsentia mea & omnium circumstantium promisissent. Quo perpetrato, eandem Ecclesiam & aliam huic adjacentem Deo & sancto Dionysio & Priori Hugoni & monachis de Capella, quibus Radulfus de Paciaco jam dederat hoc quod in eadem Ecclesia tam intus quam extra habebat, annuente Hunbaldo Vriacensi, à quo secundum laicorum veterem consuetudinem movere Ecclesia dicebatur, & Rotgerio Archidiacono & Gosfrido Archiprebytero & ceteris tam Clericis quam laicis coram quamplurimis circumstantibus, qui consecrationis Conciliive causa convenerant ex parte Dei & S. Petri S. Stephani & ex nostra auctoritate archiepiscopali virga attribui, & etiam de reliquis ejusdem Ecclesiae è puteo eadem die extractis quandam partem quam ad suam deferret Ecclesiam, Priori Hugoni de Capella in memoria hujus doni ego tradidi, & de nostro proprio sigillo hanc cartam

## ACTORUM VETERUM.

641

cartam sigillari præcepi. Hoc factum est in tempore  
Philippi Regis, vicesimo & nono anno sui regni. S.  
Richardi Archipræsulis. S. Hunbaldi Vriacensis. S.  
Amblardi Guillebaldi. S. Rotgerij Archidiaconi. S.  
Gosfredi Archipresbyteri. S. Andreæ Archidiaconi.  
S. Petri de Giis. S. Radulfi Clerici. S. Rotgerij Ca-  
pellani. S. Bernardi Clerici. S. Aimerici Clerici. S.  
Petri lo Grogn. S. Rotgerij Malevizini. S. Aimerici  
de Guiranda. S. Araldi de la Coldra. S. Radulfi Ma-  
levizini. S. Hunbaldi de Agia. S. Dalmacij Chabri,  
& aliorum plurimorum qui interfuerunt. S. Benedi-  
cti sancti Gildafij monachi, qui hanc cartam scripsit.

## XVII.

Judicium Aganonis Episcopi Augustodunensis  
adversus Raginardum.

*Ex veteri Chartulario Ecclesie  
Augustodunensis.*

**I**N nomine Domini nostri Jesu Christi Dei æterni,  
Agano Dei gratia Eduorum Episcopus. Divinæ  
præceptionis monent cunctos eloqua ut quotiens res  
ecclesiastica à quoquam detinetur, æquitate debeat  
imminente restituī. Quocirca noverit omnium sanctæ  
Dei Ecclesiæ fidelium atque nostrorum unanimis uni-  
versalitas quia dum in æstivo tempore per Beliniacum  
transiremus, in nostri itineris transitu obvios habui-  
mus homines potestatis illius vocibus luetuosis coram  
præsentia nostra conquerentes super Raginardo fratre  
nistro, qui eos novis & inauditis legibus justificabat,  
de nimiis redditionibus, de magnis exactiōibus,  
quas cotidie exigebat, sed & de malis consuetudinibus  
quas in diebus suis in potestate elevaverat, angustiæ  
multæ, misericordia nulla, & non erat qui adjuva-  
ret, multaque à Clericis nobiscum euntibus de inju-  
riis ab eo de die in diem illatis, de illicitis superposi-  
tionibus, seu & diversis oppressionibus à servientibus  
suis inmissis, nostris intimata sunt auribus. Unde

S f